


MELISSA

EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA
Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan - B-1040 BRUXELLIS. Tel. (02) 735 04 08
Editor Responsalis: Gaius LICOPPE - Compositrix: Francisca DERAEDT
Bureau de dépôt: 1040 Bruxelles 4 - Afgifte kantoor: 1040 Brussel 4

DE MEDITATIONE QUADAM AESTIVA



Alterum hornotinum Societatis Latinae seminarium Bruxellis habitum est, cuius magnam partem mihi licuit participare. Fuit seminarium adutorum hominum quin etiam intellectualium. Multis occasionibus ibi actum est de causis, quibus hodie institutio Latina in Europa dilabatur. Quae causae plerisque videbantur incertae et obscurae. Quare mihi in mentem venit de intimis causis, quales eas percipiam, aliquid componere, quod palam exponerem inter Ferias Latinas Nicenses, sub finem mensis Augusti habendas. Has cogitationes nostris lectoribus hic propono eosque invito ut assentientes vel dissentientes nos de sua sententia certiores faciant, si lubet.

Materia humana, i.e. informis hominum multitudo, ordinatur et movetur compluribus viribus. Eae praecipuae quae societatem humanam ad sua proposita conformare conantur in nostris

Aestivum tempus non solum meditationibus, sed etiam Latinis seminariis itineribusque datum est, inter quae navigatio secundum litus Turcicum non fuit inamoena. Quam Leo Stoelinga vobis narrat p.3.

25-27 m. Oct.: quam plurimi veniant ad

SYMPOSIUM LATINUM PARISIENSE

Legatis p. 16.

regionibus mihi videntur esse: vis oeconomica, vis politica, vis scientifica. Non addam vim religiosam, quae nostris temporibus minoris est ponderis. Inter has tres maiores vires sunt variae coniunctiones, cum manifestae tum arcae, quas hic praetermittam. Singularum harum virium effectum in institutionem Latinam considerabo.

In rebus oeconomicis eo maiorem potestatem habent negotiatorum societates, quo extentius est territorium, ubi negotia gerere possunt. Hac de causa post secundum bellum mundanum praepolluerunt societates Americanae. Europa enim in minores partes divisa erat atque insuper bello profligata. Sic factum est ut lingua Americanorum septentrionalium, i.e. lingua Anglica, fere sola adhiberetur in negotiis gerendis. Anno 1993 patebit magnus mercatus Europaeus, id est maximum territorium portorii vacuum, ubi negotia libere geri poterunt; iam incohata est aemulatio negotiatorum societatum, quae maiorem potestatem appetunt. Cum Europa multis linguis divisa sit, negotiatoribus duae sunt necessitates: prima patet ex eorum maxima adagione, quae est «lingua in negotiis efficacior est lingua ipsius consumptoris»; altera pendet a gubernatione singularum societatum (id quod Americani vocant «management») et a commercio inter ipsas societates; his in rebus agendis lingua unica multum iuvat, quin etiam est omnino necessaria. Sermo negotiatorius Anglo-Americanus ab Americanis in Europam iam late diffusus, Europaeis negotiatoribus visus est eligendus propter commoditatem efficacitatemque. Ergo ei qui in Europaⁱⁿoeconomicam regunt imprimis favent linguae Anglica addiscendae, qua uti valeant exquisiti societatum rectores, procuratores et magistri. Praeterea favent ceteris linguis vernaculis in scholis modo tantum practico addiscendis ut pararios in promptu habeant qui consumptores singularum regionum eorum ipsius lingua alloqui possint.

Quid de vi politica? Theoria politica in nostris regionibus est democratia; res ipsa est «particratia», id est dominatus partium sive factionum politicarum. Quam maximam electorum partem sibi quaeque attrahere conantur, cum vigeat lex maioritatis. Ut regimine potiantur inter se contendunt omnibus modis etiam pessimis, sine ulla rei publicae cura. Quo in contextu, praeconia demagogorum nituntur in utilitate et facilitate, etiam quod pertinet ad institutionem scholarem. Plerisque parentibus persuasum est in schola tantum has materias docendas esse, quibus iuvenes facile aliquid negotii inveniant. Sunt tamen parentes qui putent bonam institutionem non ad proximam artatamque utilitatem spectare, sed ad formationem diuturnam. Politicis vero talis institutio displicet compluribus de causis; imprimis quia hominum mentis libertatem alit atque facultatem

bene iudicandi auget; insuper quia humilioribus electoribus promittere solent se eos in ordinem sociale superiore promoturos esse; cum hoc vera sit opus arduum, putant rem faciliorem fieri libramentum institutionis deprimendo. Politici interdum dicunt se studiis humanitatis favere, cum adhuc a multis videantur magni aestimari; gradatim tamen sed inflexibiliter ea ad nihilum ducunt. Praeterea politici non solum universalitatem historicam linguae Latinae flocci non faciunt, sed quam plurimas minores linguas fovent, quibus regiones novae incitentur ut sui iuris fiant; quo plures enim fiunt novae res publicae, eo numeriores etiam politici qui munus publicum obtineant.

Restat vis scientifica. Scientiae naturales hodie magni aestimantur, quia industriam et negotium alunt. Quare multo maius est hodie quam olim pondus scientificorum. Respublica litterarum, quae etiam scientias naturales amplectebatur, a litterarum Renascentia floruit. Eius lingua erat Latina. Quae enim lingua videbatur sola eorum operibus apta propter stabilitatem, ubertatem perspicuitatemque. Eam adhibere perrexerunt, quamvis gradatim antiquorum scriptorum auctoritatem respuerent et potius niterentur in experimentis. A XVIII saeculo, ortus incrementumque nationalismorum Europaeorum coegit doctos suam quemque linguam nationalem adhibere; quare usum linguae Latinae paulatim amiserunt atque in suis finibus linguisticis manserunt inclusi. Post secundum bellum mundanum cum nationibus Europaeis necessarium visum esset iterum communicare et coalescere, docti praesertim impediabantur nimis multis linguis adhibitis. Qua de causa Iohannes Capelle, polytechnicus rectorque studiorum universitatis Nanceiensis, anno 1956 universalem conventum convocavit Avennionem, ubi proposuit ut lingua Latina iterum fieret lingua doctorum communis. Politici eius propositum ignoraverunt, plerique philologi obstiterunt atque omnino defuit pecunia publica. Quae cum ita essent inane evasit propositum. Decursu annorum, propter easdem causas, quas iam enuntiavimus cum ageretur de negotiis, docti assuefacti sunt linguam Anglo-Americanam adhibere atque iam nullum desiderium habent linguae Latinae vel Graecae.

Ergo Latinistae hodierni videntur vagari per solitudines. Estne adhuc pergendum linguam Latinam colere, adhibere, propagare? Meo sensu certe est, duabus de causis: imprimis, institutio humanismo vacua est institutio servis apta, non hominibus liberis. Hoc iterum quondam intellegitur. Praeterea, lingua Latina est unicum vinculum culturale Europaeorum; qui, si artius coalescere cupiunt, eius usum restituere debent; lingua enim Anglica numquam animam Europaeam resuscabit. ■

Gatus LICOPPE

DE ITINERE LATINO ALTERO

SIVE DE NAVIGATIONE PRAETER LYCIAE LITUS
SCRIPSIT LEO STOELINGA

A die 27 m. Iulii usque ad diem 3 m. Augusti Gaio Licoppe Bruxellensi duce navigavimus praeter Lyciae litus. Undecim fuimus: Gaius Licoppe, Francisca Deraedt, Diana d'Udekem, Wolfgangus Jenniges Bruxellenses, Iacina Verreet Belga (ex urbe Hyon), Pater Caelestis Eichenseer et Sigrides Albert Saravipontani, Antonius Falkner Aguntius (Aguntum, hodie Lienz), Elisabetha Llewellyn Californiana (quae modo Romae in universitate studiorum Salesiana licentiam sibi acquisiverat conscripta thesi, cui titulus «de Latinitatis statu angustiisque hac nostra aetate», qua argumentatur, cur et quomodo lingua Latina ut lingua viva adhibeatur oporteat), ego et uxor Bella Batavi.

Media nocte circa horam tertiam omnes conflueramus in Domum Latinam Bruxellensem, ubi Gaius Licoppe et Francisca Deraedt alios exspectabant. Salutatione mutua facta nobis cafeam et placentam obtulerunt atque nobis singulis librum periegeticum septuaginta paginarum dederunt, cui titulus «Mystagogus Lycius».

Quem ipsi confecerant multis imaginibus et descriptionibus urbium antiquarum ichnographicis ornatum, quo agunt de historia Lyciae et de nobilioribus urbibus.

Duobus taxiraedis ad aeroportum vecti ibi sole oriente avolavimus in caelum. Mox aeroplanum supra nubes densissimas volabat et terra non conspiciebatur, antequam aeroplanum litori Turcico appropinquabat. Postea in actis diurnis legi, quantas inundationes atque calamitates in Bavaria, Austria, Bulgaria effecerunt imbres ex his nubibus facti, supra quas nos animis laetis et placidis iter faciebamus.

Prope Dalaman, urbem in occidentali parte provinciae Lyciae et non procul a mari sitam, aeroplanum appulit. Taxiraeda longiore ad portum Goçek vecti sumus, ubi nos navarchus iam exspectabat. Nautae nobis sarcinas celeriter in navem transportaverunt. Interea navem admira-

bamur, haesitantes tamen mirabamur ponticulum angustum, quo navem ascendere opus erat. Plures nostrum nullam umquam celocem ascenderant. Nautae autem manibus porrectis nos modo certo in navem deduxerunt. Statim fune, quae puppim a terra religaverat, soluto et ancora sublata propecti sumus. Quamquam in terra aestus ingens fuerat, in mari nobis iucundum



Simenae (Kalekoy) in teatro: Leo Stoelinga, Bella Stoelinga, Sigrides Albert, Gaius Licoppe, P. Caelestis Eichenseer.

erat. Nam Zephyrus afflabat, quae nos refrigerabat, et in stega navis sedebamus sub umbra tentorii supra nos extenti. Vehebamur praeter oram sinuosam et laciniosam. Ubique sunt montes saxosi raro dispersis abietibus et fruticibus. Tota regio paene nuda est et videtur inhabitabilis, ne parva quidem planities usquam conspiciuntur.

Vespere appulimus in insulam parvam nunc Gemiler nomine, antea Gemili nomine Italico. Nam tota Dodekanessos fuit territorium Italicum usque ad annum 1945. Insulam ingressi sumus, ut parietinas urbis Byzantinae atque ecclesiae aspiceremus. Insula est 600 metra longa et 150 metra lata, nihil aliud est atque mons saxosus et vix in ulla parte plana. Per semitam saxi et lapidibus et fruticibus obtectam et praeter parietinas domuum ascendimus in culmen insulae, ubi parietinas intravimus ecclesiae, ubi Sanctus Nico-

laus (+ 435) per triginta annos episcopus fuit. Vix crediderim in hac insula omnino deserta homines vivere posse, sed parietinae et inscriptiones testificantur hic homines habitavisse et inter se Graece collocutos esse. Mirabar mutationem rerum. Quondam hoc loco urbs Graeca floruit, nunc locus est in oblivionem datus, quem neque archaeologi attigerunt neque peregrini adeunt nisi rari, ut nos. Ab ecclesia Sancti Nicolai late patebat nobis, sicut quondam illis antiquis, prospectus magnificus in mare et continentem, cum sol iam vergeret. Estne idem prospectus, qui patuit illis antiquis an est scaena mundi mutata an illi aliis oculis prospiciebant? Quia in aestu ascenderamus et descenderamus, sudantes ad navem pervenimus et refrigerationem invenimus natantes in aqua purissima et perlucidissima.

Die secundo vespere navarchus ancoram iacuerat medio in portu Kaleköy. Nomen antiquum fuit Simena, quae iam quarto a.C.n. saeculo exstabat. Iuxta ripam videmus sarcophagum magnum, cuius basem aqua circumluit. Vix ancora iacta erat, cum duae scaphae remigerae navi appropinquaverunt. E scaphis pueri et puellae navem ascenderunt et pannos multicolores et armillas simplices vendere conabantur. Una nostrum aliquid emit. Cum diutius manerent, navarchus eos iussit navem relinquere. Natamus



Olympus: rivi difficilis transvectio.

in spatioso portu vici parvi Kaleköy, qui constat ex 50 vel paulo pluribus domibus quae sitae sunt in locis proclivibus collis, super quem arx mediaevalis eminet. De Simena legitur apud Mystagogum Lycium: *Supersunt moles portus antiqui, complura sepulchra, parietinae thermarum anno 79 imperatori Tito dicatarum, arx mediaevalis, in qua media est parvum theatrum, acropolis unde patet splendidus prospectus; in collibus sunt sarcophagi aetatis Romanae.* In portu sunt multae naves peregrinorum, ad ripam portus nonnullae cauponae subdiales.

Postero die post ientaculum e nave egredimur in vicum, ubi multa tapetia prostabant, vel potius, pendebant venalia. Ascendimus in colles, ubi multos sarcophagos dispersos intuiti sumus ornatos simplicibus anaglyptis cum inscriptionibus Graecis. Deinde ascendimus ad arcem supra dictam et descendimus ad thermas, ubi etiam inscriptiones Graecas invenimus. Post prandium ancora sublata praeter angustam insulam Keko-vam, 2 chiliometra longam, quae 150 metra exad-versus vicum Kaleköy est et eo modo portum naturalem facit, praetervecti sumus, conspicientes parietinas insulae et parietinas aqua submersas. Nunc est insula ininhabitata et ininhabitabilis.

Die tertio ante meridiem appulimus in Andriaken, antiquum portum urbis Myrae, situm ad ostium fluminis Androci. E nave descendimus in scapham motro instructam, quae nos transvexit ad crepidinem portus. Deinde taxiraeda longiore ad vicum Demre, qui non procul a Myra abest, vecti sumus. Ibi Sanctus Nicolaus fuit archiepiscopus. Ecclesiam eius bene reconstructam, in qua etiam sepultus est, admirati sumus. Ex eo eadem taxiraeda longiore ad antiquam Myram vecti sumus. Apud Mystagogum Lycium inter multa alia etiam legitur hoc: *Haec urbs caput Lyciae facta est quinto saeculo ab imperatore Theodosio II.* Primum adspeximus theatrum bene conservatum. Quamquam theatrum, non amphitheatrum, tamen, quoniam permagnum est, *ad ludos circenses aptum erat. Multae erant pantherae in hac regione, quae in venationibus exhibebantur.* Iuxta theatrum est necropolis occidentalis. Sunt rupes praeruptae, e quibus multa monumenta sepulcralia excavata sunt. *Praestat plerisque necropolibus magnitudine varietateque monumentorum (IV saec. a.C.n.). Nonnulla sepulcra ornata sunt anaglyptis.* Ceterum ex omnibus tredecim vel quattuordecim urbibus antiquis, quas adiimus, haec una fuit, in qua etiam alios peregrinos vidimus.

Ad portum reversi, aestum vento maritimo fortiore expulsum esse animadvertimus. Hoc fuit nobis iucundum. Sed ventus aquam satis perturbaverat. Erat salum magnum, quia nulla moles undis obiecta est. Non sine ulla difficultate scapham motro instructam inscendimus, quae nos transvexit ad navem. Gubernator scaphae madidus erat, cum modo in aquam decidisset. Difficilius fuit e scapha transcendere in navem, cum utraque saltaret in undis, sed motibus imparibus. Sed gubernatore scaphae et nautis adiuvantibus per scalas in navem transcendimus. In eo portu vel potius sinu navarchus nobis prandium praebere noluit. Confestim igitur ancoram solvebat. Sed, quod raro fit, catena ancoraria fracta est et navarchus ancoram perdidit. Verbis Turcicis gravissimis et sibi et nautis increpuit. Quamquam aderat



ancora subsidiaria, mihi videbatur rem non leviter ferre et coquum iussit desilire in aquam et sub aqua ancoram quaerere. Quod fecit et post quadrantem horae in altitudine aliquorum quinque metrorum invenit ancoram, cui funem adligavit. Deinde ancora cum parte catenae nobis plaudentibus retracta est et locum prandio consumendo aptiorem petivimus. Reliquum tempus diei otio dedimus, commode in stega sub umbra sedentes aut in sole apricantes, colloquentes, adspectantes litus et montes et mare caeruleum, aut librum periegeticum legentes aut alium. Etiam quattuor vel quinque delphinos vidimus, qui per unam alteramve minutam circum navem natabant et etiam supra undas saltabant.



Letoon: participes ubique quaeritabant inscriptiones Graecas... quod Mustafa navarchus noster (a sinistris) paululum mirabatur, sed libenter participabat.

Die quarto petivimus urbem Phineke (olim Phoenikos). Ex hac urbe excursionem unius diei in urbes Limyram, Arycandam, Olympum fecimus, quondam urbes prosperrimas et nobiles, ut apparet ex magnis theatris bene conservatis, moenibus, aedificiis et ex testimoniis antiquis. Nunc derelictae sunt in regionibus desertis. Arycanda 35 chiliometra ab litore abest et sita est in montibus, vix autocineto accessibilis. *Ruinae sunt pulchrae. Situs est Delphis quodammodo similis.* Super hunc locum eminent altissimae rupes praeruptae, ut Delphis. Ambulamus per agoram, secundum thermas, sepulcra, bouleuterium, odeum, sedemus in teatro, considimus iuxta stadion, unde late patet prospectus in imas valles. Pleraque tam bene conservata sunt, ut vix opus sit librum periegeticum et delineamenta inspicere. Miraculum antiquitatis miramur, sentimus, manu tangimus.

Post longum iter taxiraeda factum pervenimus Olympum, mari adjacentem in parva planitie rotunda. Pauca restant ex urbe, cui sua moneta erat et quam quondam Hadrianus adlit. Nunc est locus amoenus, numquam eruderatus. Parietinae arboribus et fruticibus teguntur, quas rivulus nutrit.

Hinc per invia lente ad viam stratam revecti sumus et deinde per vias stratam ad Phineke. In taxiraeda calorem maximum vix percepimus, cum omnes fenestrae apertae essent et autoraedarius velocitate maxima et insanissima nos per vias flexuosas raperet.

Phineke fuit finis navigationis in partem orientalem. Dies igitur insequentibus rediimus in partem occidentalem et simili modo dies in nave peregrimus et excursiones fecimus.

In reditu inter alias urbes visu dignas etiam sanctuarium Latonae sive Letoum adiimus, quod non procul ab Xantho abest. Ibi mirati sumus Nymphaeum. Ad hunc ipsum locum, sicut aliqui nostrum memoraverunt, ille versus Ovidianus refert, qui est «quamquam sunt sub aqua, sub aqua maledicere temptant.» Hoc loco, ut fabula fert, agricolae Lyciae deam Latonam sitientem ab aqua prohibebant, qui propter suam malignitatem deinde ab ea in ranas mutati sunt.

Die octavo nautis valediximus, gratias maximas agentes pro iucundissima navigatione atque coquo pro cibis salutariter et sapidissime paratis. Nonnullis horis post - difficile mihi creditu - rursus omnes stamus ante domum Latinam Bruxellensem. Ibi ego et Bella uxor iam abituri ad stationem ferroviariam aliis comitibus valediximus, gratias agentes pro eorum comitate, iucunditate, pro colloquiis et gravioribus et levioribus et id quidem semper Latine factis, atque Gaio Licoppe et Franciscae Deraedt gratias quoque ingentes egimus, quod hoc iter accuratissime et diligentissime praeparaverant et curaverant. ■

DE PUGNA ARMINII

SCRIPSIT THOMAS FUCHS

Adnotatio compositricis: haec symbola, modo Caesariano pulchre scripta, a nobis propter materialium nimiam copiam est omnis divisa in partes tres, quarum unam in hoc fasciculo legetis, aliam in proximo, tertiam in quadragesimo quinto.

*
* *

Thomas Vulpius lectoribus s.p.d. Forsitan¹ scias in Germania prope illam urbem, quae Latine Ansibarium lingua Germanorum Osnabrück appellatur², res militares nuper effossas esse multas, quae ad illam praeclarissimam pugnam in saltu Teutoburgiensi³ factam pertinere dicerentur⁴. Ex autem P. Taciti scriptis⁵ aliqua ex parte⁶ cognosci potest, quomodo haec pugna facta sit. Et multi sunt Germani, qui hac de pugna scribes coniecturas ceperunt. Iam sunt, qui monumentum Arminii in alia regione constituere velint. His disputationibus ego quoque adductus sum, ut de hac re - scilicet Latine - iocose scriberem. Relationem meam dignam esse arbitror, quam legas, ne omnes Germanos Germania readunata in nationalismo rursus bacchari putes.

*
* *

I. (1) Germania Transrhenana omnis divisa est in partes duas, quarum alteram incolunt Frisii, Chauci, Ampsivarii, Langobardi, Angrivarii, Semnones, Tubantes, Usipetes, Bructeri, Marsi, Cherusci, Sugambri, Chatti, alteram Hermunduri, Marcomanni, Tutones. (2) Germaniae altera pars initium capit a flumine Rheno, continetur Albi flumine, Oceano, finibus Marcomannorum, spectat inter occasum solis et septentriones, altera pertinet ad superiorem partem fluminis Rheni, vergit ad orientem solem et attingit flumen Albim.

II. (1) Cum P. Quintilius Varus in Germaniam venit, Cheruscorum, qui fortissimi omnium Germanorum sunt, factiones erant duae: harum alterius principatum tenuit Segestes, cuius summum in populum Romanum studium, summam in se voluntatem, egregiam fidem, iustitiam, temperantiam cognoverat Varus, alterius Arminius, magna apud plebem propter audaciam gratia, cum sem-

per auctor novorum consiliorum apud barbaros auctoritatem haberet, cupidus rerum novarum.

III. (1) Is M. Papio M. f. Mutilo Q. Poppaeo Q. f. Camerino consulibus regni cupiditate inductus coniurationem fecit, ut totius Germaniae imperio potiretur. (2) Quibus de causis Varus maiorem motum exspectavit. (3) Praeterea animadversum erat ab speculatoribus quas Germanorum gentes incolebant circa castellum Alisonem, quod ad ripas Lupiae praeruptas opportuno loco positum erat, a flumine Rheno circiter XXXV milia passuum aberat, ad orientem solem spectabat, Cheruscos Chattos Bructeros Marsos, eas manus cogere et aperte bellum parare. (2) Varo cum id nuntiatum esset, maturat ab urbe proficisci et quam maximis potest itineribus in Germaniam Inferiorem contendit et ad Novaesium pervenit. Provinciae toti quam maximum potest militum numerum imperat et tres legiones conscribit, XVII XVIII XIX.

IV. (1) Ubi de eius adventu Cherusci certiores facti sunt, legatos ad eum mittunt nobilissimos civitatis, cuius legationis Arminius et Segestes principem locum obtinebant. (2) Qui dixerunt Angrivarios, qui virtute omnibus praestarent, collectis undique perditis hominibus servis ad libertatem vocatis exulibus omnium civitatum ascitis exercitum ad vada transitusque saltus Teutoburgiensis in unum locum contraxisse, ut prima defectione Germaniae facerent in provincias impetum. (3) Hoc modo Romanis sese persuasuros existimabant, ut e castello egressi per fines Bructerorum et angustias traducerent copias et in Angrivariorum fines pervenirent, ubi Cherusci copias in convalle in insidiis collocavissent.

V. (1) His verbis diffidens Varus, ut spatium intercedere posset, dum milites, quos imperaverat, convenirent, legatis respondit diem se ad deliberandum sumpturum. (2) Eo consilio dimisso Segestem retinet, quaerit ex solo ea, quae in conventu dixerat. (3) Is multis cum lacrimis Varum amplexus graviter Arminium accusat: (4) illum superbe ac crudeliter imperare, obsides nobilissimi cuiusque liberos poscere et in eos omnia exempla cruciatusque edere, si qua res non ad nutum aut ad voluntatem eius facta sit. (5) Hominem esse barbarum, iracundum, temerarium. (6) Quem si



retineret, plebem nihil per se ausuram fuisse. (7) Ad haec, quae visum est, Varus respondet. Sed exitus fuit orationis: (8) negat se more et exemplo populi Romani posse legatos, quod nomen apud omnes nationes sanctum inviolatumque fuisset, retinere et in vincla conicere. (9) Non fraude populum Romanum hostes ulcisci sed virtute et in acie vincere. (10) Quorum animis permulsis et confirmatis legatos remittit et cum iis Segestem, qui, ut primum domum revertisset, sese obsides daturum missurumque et auxilia et frumentum pollicitus erat.

VI. (1) Cuius oratione permotus Varus Arminium, qui, cum stipendium Romanis pependisset ductorque popularium Romanis in castris fuisset, summam rei militaris scientiam habebat, populo Romano periculosum esse existimabat, ipse, quod non ignorabat, quanta ex defectionibus incommoda oriri consuissent, ne tanta et tam coniuncta populo Romano civitas, quam semper aluisset omnibusque rebus ornasset, ad vim atque arma descenderet atque ea pars, quae minus sibi confideret, auxilio ab Arminio arcesseret, huic rei praeventendum existimavit et in Cheruscos proficisci statuit, ut eos a belli gerendi consilio depelleret.

VII. (1) Sed prius, quam id faceret, nuntii ab imperatore Augusto venerunt, qui eum Anglis et Saxonibus bellum inferre iuberent. (2) Itaque confestim imperio ad Caecinam Severum tribunum militum, virum et consilii magni et virtutis, delato naves longas aedificari in flumine Rheno, remiges ex provincia institui, nautas gubernatoresque comparari iubet. (3) His rebus celeriter administratis ipse, cum primum per anni tempus potuit, Traiectum contendit et per Flevonem lacum ad oram maritimam pervenit: inde cum classe in Saxoniam venit. (4) At barbari consilio Romanorum cognito equitibus per oram maritimam dispositis reliquis copiis subsecuti nostros navibus egredi prohibebant. (5) Haec eo facilius faciebant, quod nostrae naves tempestatibus detinebantur summaque erat vadoso mari, magnis aestibus, raris ac prope nullis portibus difficultas navigandi, sed rursus minuente aestu naves in vadis afflictabantur. (6) Ad hoc autem incommodum accedebat, quod pedestria erant itinera concisa aestuariis, navigatio impedita propter inscientiam locorum paucitatemque portuum neque nostri exercitus propter frumenti inopiam diutius apud eos morari poterant. (7) Itaque Varus paucos dies eorum fines classe praetervectus in Inferiorem Germaniam reverti constituit, praesertim cum multis necessariisque rebus in Germaniam revocaretur. (8) Neque enim sibi homines feroces ac barbaros temperaturos existimabat, quin, cum omnem Germaniam occupavissent, ut antea Ariovistus fecisset, in Galliam exirent atque inde in Italiam contende-

rent; quibus rebus quam maturime occurrendum putabat. (9) Ipse autem Arminius tantos sibi spiritus, tantam arrogantiam sumpserat, ut ferendus non videretur.

VIII. (1) Caecina Severus, cum obsides et auxilia Germanorum, ut erat constitutum, ad eum venissent, equis Germanis detractis eorumque armis traditis eos comprehendit et in militum casas perduxit; quo facto equos legionariis militibus distribuit, uti numerum equitum Romanorum auget. (2) Quos inter obsides erat Thusnelda, Arminii uxor et filia Segestis, qui eam Romanis tradiderat, cum Arminio irasceret, qui filiam clam abduxisset. (3) Eam ut liberaret Arminius prohiberetque Caecinam, quominus is se cum Varo coniungeret, magnis Germanorum copiis coactis castellum Romanorum suadente Inguomero, patruo suo, expugnare constituit. (4) Id quo facilius perficeret, exercitum in duas partes divisit, quarum alteram duce Inguomero ad castellum ad itinere aggrediendum et omnibus modis oppugnandum misit. (5) Ipse reliquis copiis ad Visurgim, ut Varum exspectaret, proficiscitur.

IX. (1) Arminius, postquam per Epaminondam, mercatorem ex Syria, qui in Romanorum castris versatus erat, minis compulsus certior factus est Varo in animo esse secundum flumen Visurgim iter facere in Cheruscos civitatis cohortandae causa, Romanos adire constituit, ut Varo persuaderet non Cheruscos sed Bructeros seditiosos esse et castra Romanorum potiri velle. (2) His verbis animum Vari permovere voluit et, quo facilius Germani agmen Romanorum in itinere adorirentur, efficere, ut ille commutato consilio iter in Bructeros converteret et per silvas paludesque iter faceret. ■

(sequetur)

Adnotationes

- (1) Cf. Cic. Brut. 33.
- (2) Cf. Caes. Gall. 1,1,1.
- (3) Cf. Tac. Ann. 1,60,3.
- (4) Cf. KST II 183,9.; KST II 195,7; KST II 202b; RHH § 229,2.
- (5) Cf. Tac. Ann. 2,17.
- (6) Cf. Cic. Manil. 26.

MUSA MUSICES (PARS QUARTA)

SCRIPSIT THEODORICUS SACRÉ

21. LUDOVICUS HOLBERG, IN MUSICUM MOROSUM²²

Concordare facit chordas citharasque fidesque
Faustinus, discors est tamen omne domi.

22. LUDOVICUS HOLBERG, VIRTUS MUSICES²³

Bellum detestans miles, si tympana pulses,
non dubitat rursus bellica signa sequi.
Hinc pateat quantam virtutem Musica servat:
artis enim magicae vim tenet iste sonus.

23. NICOLAUS STOPIUS, IN LAudem ADRIANI WYLAERT MUSICAE ARTIS PERITISSIMI VERAeQUE HARMONIAE INVENTORIS LONGE CELEBERRIMI²⁴

Ad Musas

Vos, Heliconiades, dulcissima turba, sorores,
unanimes melicum condecorate chorum.

Respondent Musae

Calliope, Polyhymnia, Terpsichore, Urania
«adsum»,

Melpomene, Euterpe, Clio, Thalia, Erato.

Ad Musas, ut unaquaeque suo fungatur officio

Gesta canens Clio, quid erat dic Musica quondam;
maesta licet tua sint, dic quoque, Melpomene;
lascivis parcas numeris, facunda Thalia;

huc ades, Euterpe, flatibus ede sonos;

Terpsichore, adde modos, Geticus quos repperit
Orpheus;

quidque, Erato, sit amor gestibus ede sacris;

Calliope, tua maiestas heroa nec absit;

harmoniam caeli proferet Urania;

da manibus placidos et voce, Polymnia, gestus;

tu fer ovans Paeon, Thrax citharoede, novum;

ut Charitesque hilari suaves dent pectore voces
convoca eas Claria, Phoebe canore, lyra.

Phoebus

Vos, Heliconiades, gratissima turba, sorores,
huc properate prius quam venit atra dies.

Heu nimis atra dies erit et lacrimabile fatum,
odeon linquet cum pater ipse chori.

Perpetuis vivus celebretur laudibus a quo
omne decus vobis, gloria perpes adest.

Spiritus et cum se carnis mole exuet ista,
ducite ad Elysios munera grata choros.

Musica iam longos varie lacerata per annos
dulcis adest veris enucleata modis;

praeceptis veteres hanc involvunt tenebrosis
verbaque pro factis sola relicta iacent.

Iuppiter at nostri sortisque misertus acerbae
caelitus emisit dona petita suis.

Flandria ter felix hoc almo munere digna
sola reperta fuit quae patefecit iter.

Divini sitiens puro de fonte Adriani
mellifluo ardentem nectare pelle sitim.

Musarum chorus concors

Vivat perpetuo felix cum dis ADRIANUS,
vivat, ut est clarum nomen et usque suum.

24. MAPHAEUS VEGIUS, IN MUSICAM²⁵

Mulces caelicolas, orta es quae, Musica, caelo,
mulces de caelo lapsa hominumque genus.
Mulsisse infernas vates et Thracius umbras
fertur: sunt ipsam qui te animamque putent.

25. FRANC. SANCTIUS, MUSICAE LAUS²⁶

Caelorum est donum numerosi musica rhythmici:
haec hominum mentes allicit atque deum.

Quod nil curae homini plus Musis debeat esse,
hoc fuit a Graiis Musica dicta melos.

26. ALBERTUS INES, DE ALANO MUSICO²⁷

Alta voce canit quando promittit Alanus,
bassa quando negat; quando dat, angelica.

27. ALOIS. CHRYSOST. FERRUCCIUS, IOACHIMI ROSSINII APOTHEOSIS²⁸

Pandite, saxa, vias, Alpestria! Tendit ad urnam
Italia positam patria cum laude triumphi
Musarumque choro Ioachimi corpus inane,
qui novus Amphion, novus Orpheus omnia iussit
arte melos moderante lyram cum voce moveri.

Spiritus ad superos abiit; post funus amici
sed desiderium pascens ego corde, quid audax
eloquar in coetu metuente silentia rumpi?

Annua per caelum quae Musica Signa ferantur
cantabo tibi, Rossini. (...)

(...)

Aetheris in campis locus est, ubi maximus amnis
Eridanus gaudet sese distendere longe
amplificum. Vacui sunt illic nominis ignes
quos habitare aliquem meritis ardentibus aequum
est.

Illic te statuo, si quando, suavis amice,
invideant nobis ingentia fata. Poetae
parce tuo, si divinum te velle videre
praevertit vivos inter te velle morari!



Corpore metimur spatium breve luminis, esse quantumvis longum videatur: spiritus astris lumine perpetuo inseritur, si liber agendo multiplicata dedit quaecumque talenta recepit. Sic tua te regio insignem splendore reviset inter eos ignes matura fine locatum. Cycnus namque Padi fueras qui valle creatus aureus implebis caelum cognomine signo.

28. HIERON. FALETTUS, (DE MUSICA)²⁹

(...)
Nunc te, diva, canam. Tu dum mihi vita manebit, musica, sola meo semper celebrare cantu et tua mortali facta immortalia voce libabo, custosque tuis novus inferar aris. Et merito: tristes animos aegrumque laborem unica tu relevas, divumque hominumque

voluptas,

qua sine nil iucundum animis neque amabile

quicquam,

ad cuius numeros superi vertuntur et orbis, ac caelo radiant ignes (quibus emicat ingens signifer) et leges praescriptaque tempora servant. Te Phoebus Phoebique soror duce et aurea caeli astra suos agitant constanti foedere motus stantque axes, quibus ipse ingens versatur

Olympus,

et certos elementa suos retinentia motus.

Quidquid adest nobis quodque hic et ubique

movetur

harmonicum est prorsusque nihil nisi musica,

cantu

cum regis aera, aquas, terras caelumque

profundum,

qua sine materies omnis cumulata iaceret.

Per te summa rudi discreta est machina acervo, quod dixere chaos, densis dum cuncta tenebris torperent, liquidum spisso cumque aethere

caelum,

cum caelo tellus, terris maria alta iacerent,

duraque cum teneris certarent, mollia duris,

umida cum siccis, calidis cum frigida cumque

pondere depressis nullum vel habentia pondus.

Quae numeris firmata tuis sine lite quietem

accipiunt rerumque vices aeternaque fata.

(...)

Auspice te Phoebus languentes tollere morbos

repperit auctoremque suum medicina fatetur.

His quoque defessus pastor durum exigit aevum,

dum liquidas avium voces imitarier ore

temptat et arguto calamos inflare labello.

Ad cuius modulos per mitia pabula fessa

corpora deponunt pecudes, simul ipsa per undas

laeta choros agitat Nais, mox mollia cannis

sibila dant Satyri, dant et sua cantica Fauni,

exurgit sub fronde Dryas, decurrit Oreas

mnotibus et ludunt faciles convalle Napaeae,

exultantque mari nymphae, tum caerulea Doris

Nereidum coetus imis prospectat ab antris.

Durus et agricola incurvo iam lassus aratro
rursum invadit opus, lascivum tibia folle
dum sonat inflato, urgenti seu tenta bacillo
tympana supplodunt et pulsant aeribus aera,
et tuba conspirat cornu grave tortilis unco.
Talia permulcent animos solacia nostros.
(...)

ADNOTATIUNCULAE

(22) Fons: L. Holberg, Epigrammata 1,95, in: Ludvig Holbergs Samlede Skrifter, ed. C.S. Petersen, 9 (Hauniae, 1928), p. 198; usi sumus exemplari Hauniensi. Holbergus (° in Norvegia, 1684 - Hauniae, 1754) praeclarissimus est scriptor fabulae Utopicae c.t. Nicolai Klimii iter subterraneum (1741).

(23) Fons: ead. 3,120, in: ibid. (cf. adn. 22), p. 285.

(24) Fons: Panegyricum Nicolai Stopii Alostensis Flandri carmen (...) (Florentiae, 1555), pp. 34-35; usi sumus exemplari Florentiae in bibliotheca «Nazionale Centrale» asservato. Nicolaus (Martini, insignis medici, frater) Stopius Alostensis Venetiis diutissime vixit; cuius vita adhuc prorsus latet. Adrianus vero Willaert musurgus (° in Flandria, ca. 1490 - Venetiis, 1562) annis 1527-1562 Venetiis praefectus erat musicus.

(25) Fons: Carmina illustrium poetarum Italorum, X (Florentiae, 1724), p. 307; usi sumus exemplari Lovaniensi. Vegius Italus poeta viris Vergilianis innotuit ob Aeneidos librum XIII in lucem editum.

(26) Fons: Francisco Sanchez de las Brozas, Obras, II: Poesia. Edicion, traduccion y notas por A. Carrera de la Red (Castris Caeciliis, 1985), p. 120. Franciscus Sanctius Brocensis (1523-1601) professor Salmanticensis idemque grammaticus erat celeberrimus.

(27) Fons: Alberti Ines e Soc. Iesu Acroamatum epigrammaticorum castis verecundisque salibus in gratiam studiosae iuventutis intertextorum editio nova et correctissima (Amstelodami, 1679), p. 296; usi sumus exemplari Lovaniensi. Epigrammata Audoeniana Alberti Ines e Soc. Ies. (° 1626 - Cracoviae, 1658) inde ab anno 1652 saepe numero in lucem sunt emissa.

(28) Fons: A.C. Ferrucii Epistolae satyricae XX. Accedunt carmen de Francisco Ferruccio et Apotheosis Joachimi Rossinii (Forocornelii, 1877), pp. 80-86; usi sumus exemplari Romae in bibliotheca Gregoriana asservato. De Ferruccio poeta et Rossinio musurgo videas adn. 13.


(29) Fons: Hieronymi Faleti De bello Sicambrico libri IV. Et eiusdem alia poemata, libri VIII (Venetiis, 1557), ff. XXXVIr-XXXIXv; usi sumus exemplari Bruxellensi. Falet(t)us Savonensis (+ 1564) orator idemque poeta elegans alia ut mittam heroicum scripsit carmen de Gelris anno 1542 in Brabantum Flandrorumque fines irrumpentibus. ■

DE MUSEO COLONIENSI

SCRIPSIT VALTHERUS FUCHS

(Quarta pars)

VAGDAVERCUSTIS



Primo aspectu huius operis caelati intellegimus: agitur de sacrificio, de sacris. Medio in opere caelato, ante nonnullos viros, parva ara. Flammae flagrant e nonnullis lignis in ara coacervatis.

Vir iuxta aram medius inter comites in centro stans partem posteriorem togae supra caput traxit, cum ad altare gradi non liceret nisi capite velato. Agitur ergo de caerimonia sollemni, de rebus divinis.

Viro togato rebus divinis operanti nomen est tripartitum, de viro ergo agitur vere Romano. Manum dextram porrigit turaque in flammam dat. Tus lacrima exigua est arboris in Arabia quae siccata in sacris adoletur.

Talla sacrificia cum ture in contionibus funebribus celebrantur, in mysteriis, in oraculis, in sacrificiis publicis et privatis.

Quidam comes in sinistra parte acerram inter manus tenet granorum turis plenam. Unus ex viris tibia canit. Omnes, qui eum circumstant, vestimentis Gallicis vel Germanicis sunt induti ac cucullati. Cuculla pars est vestis a tergo pendentis, qua caput tegitur pluviae vel tempestatis arcedendae causa. Multi monachi nostra aetate vestem gerunt cucullatam.

In antiquitate res divinae modis musicis celebrabantur et tura incendebantur. Musica tibiae strepitus perturbans aliorum hominum circumstantium neutralizari dicebatur, ne attentio illorum qui aderant perturbaretur. Odorem turis deorum naribus periucundum esse putabant.

Verisimile est illum lapidem votivum quondam fastigio cum pulvinariis donariisque e lapide exsculptis coronatum esse. Illud fastigium forsitan excavatum erat libationum recipiendarum causa; canale angusto inciso libationi defluere licebat secundum partem aversam lapidis rudem.

Tura ergo arae dantur deaeque cubanti in pulvinari pulvinis oblecto. Imago optime est confecta ac elegans. Vestimenta trium illorum virorum circum aram stantium vernacula sunt: amicula gestant cucullata. Vir autem medio in opere caelato togatus est vestimento viri vere Romani liberi.

Illi tres viri Gallici aut Germanici in recessu vix exsurgunt e lapide; vir autem Romanus magna cum diligentia est exsculptus.

Nonnullis ex causis agitur de viro eminentissimo:

- altis praest;
- mediam obtinet partem operis caelati;
- vir Romanus est;
- munere sacerdotis fungitur;
- praefectus est cohortis praetorianae;
- auctoritas gravitasque viri Romani elucet et e sublimitate repraesentationis et quia e lapide editior est exsculptus illis circumstantibus plane tantum adumbratis.

Cui affertur hoc sacrificium? Legamus titulum: DEAE VAGDAVERCUSTI TITUS FLAVIUS CONSTANS PRAEF(ectus) PRAET(orio) EM(timentissimus) V(ir). Mirum in modum civis

Romanus sacrificium ritu Romano affert numini divino peregrino, scilicet non Romano.

In Germania Inferiore Vagdavecustis dea ubique colebatur, quam deae Romanae Virtuti aequatam esse verisimile est. Deos deasque aliorum populorum Romani colebant quasi essent numina Romana. Si qua affinitas erat inter vires alicuius numinis peregrini et alicuius numinis Romani, illud numen peregrinum a Romanis adoptabatur in cultus divinos Romanorum secundum «interpretationem Romanam». De hac re Tacitus disserit in Annalibus suis. Tempora columnasque iis erigebant Romaeque in Pantheo ea venerabantur.

Titus Flavius Constans ergo, unus ex summis magistratibus Romanis, praefectus erat cohortis Praetorianae, cuius annuus redditus trecentorum milium erat sestertium, ducenties quinquagies redditus militis simplicis.

Cur Coloniae Claudiae talem curavit erigendum lapidem? Duae sunt theoriae:

- primo: forsitan oriundus erat e Colonia Claudia eaque de causa patriae desiderio Coloniam se contulit;

- secundo: imperator eum miserat in Germaniam Inferiorem.

Repraesentatio praestans et edita huius operis caelati convenit auctoritati Titi.

Hic lapis votivus anno centesimo sexagesimo p. Chr. n. erectus esse putatur.

Quid erat faciendum ut preces a deis exaudirentur? Quattuor erant rationes: **preces, votum, sacrificium, sacrificium piaculare.**

1) preces: scire oportebat qui deus esset invocandus: ecce invocationem. In templis longi indices invocationum erant exhibiti a sacerdotibus, conscripti cum nominibus omnium deorum dearumque. Ergo: qui deus erat invocandus? Quae erant auctoritates sive competentiae numinis invocandi? Ubi erat sedes dei?

Exempli gratia: «Tu, Apollo, qui mederis morbis hominum et qui habitas in hoc luco»; «Tu, Mercurius, qui es protector mercatorum...». Formalia erant quaedam observanda; e.g., nisi omnium memineris dei nominum, dicas: «.. aut quibuscumque nominibus invocari cupis...»; nihil scis, num agatur de deo an de dea: «... sive sis deus sive dea...». Omnes si vis vitare errores, omnia sunt invocanda nomina numinis quae in mentem tibi veniunt; aut invoces illum «deum incognitum».

Post invocationem preces suscipiuntur propriae: carmen. Textus precatationis in formam est redactus rigidam quasi agatur de textu iuridico. Mutare non licet verborum seriem precatationis. Noli haesitare lingua, noli balbutire. Ne balbutirent, homines sacerdotem quendam conducebant, qui orantibus precatationis textum ad verbum voce

praerent, nam uno tantum errore precatio ad nihilum redigebatur. Tibicen tibia canere solebat ad precatationem ne caerimonia strepitu quorundam circumstantium perturbaretur. Malum habebatur omen si media in precatatione tibicinis modi desisterent. Precatio saepe sacrificii voto adiungi solebat.

2) votum: secundum rationem «do ut des» numini donaria volebantur. Votum a numine exauditum voventi erat solvendum, qua de causa saepissime in ultima linea textus lapidis promissi 4 legimus litteras: VSLM, i.e.: votum solvit libens merito. Pietatis in numen causa lapis votus erat ponendus, ecce dedicationem.

In Germania Inferiore inter annos 160 et 180 multi tales lapides voti sunt cum legioni Primae quae Bonnae habebat stationem, illis annis proficiscendum erat in bellum contra Parthos gendum.

3) sacrificium: quinque apud Romanos erant genera sacrificiorum:

- *oblatio victus:* cibi in ara domestica laribus offerebantur et penatibus et genis.

- *libatio (oblatio potionis):* parentalium occasione vinum purum, mel, aqua offerebantur mane ac vespere, itemque in symposiis et ante itinera facienda. Patera qua utebantur omphalos erat; calix vitreus: rhyton.

- *tura:* turis grana in ara domestica praebebantur, in larario; in turibulis incendebantur et praebebantur in funeribus, in mysteriis, in oraculis petendis, occasione sacrificiorum publicorum et privatorum.

- *sacrificatio victimae (hostia):* hostiae a magistratibus mactabantur ac a sacerdotibus publice missis. In sacerdotum actis praecepta severa erant data quoad victimas ac disciplinam sacrificandi. Animalia masculina pertinebant ad deos, feminina ad deas, alba ad Iovem ac Iunonem, rubra ad deos ignis, nigra ad deos Inferorum. Is qui rei divinae operatur, ad templum se confert colloquendi cum sacerdote causa de rebus faciendis; adiutores convenire iubet: sacerdotem, tibicinem, popam, cultrarium. Ad mercatum se confert victimae emendae causa, e.g. ovis, tauri, suis. Victimam vitulis puram esse, numquam laboravisse, numquam hominem mortuum contigisse necesse est. Sacrificans togam induit, victimae caput taenias circumvolvitur, cornua animalis inaurat caudamque taeniis adornat. Victimam ad templum ducit. Victima sacrificantem sua sponte sequens bonum putatur praesagium. Animal autem renitente alia victima emenda est quia deus talem victimam aspernari putatur. Ara numquam

intra sed ante templum sita erat. In templo ipso statua dei erat, itemque cella, vestibulum, nullae fenestrae: lux per tecti fissuram penetrabat. Victimae ante templum mactari solebant in ara caespitibus obiecta feminis infantibus servis canibus non admissis. Sacerdos ac sacrificans manus aqua sancta lavant manutergioque linteo abstergunt monentque ut taceant qui adsunt. Tibicine tibia canere incipiente sacerdos caput tegit togae lacinia et de tabula quadrata lignea molam demit salsam capitique inspergit victimae, itemque paululum vini superinfundit. Fascias sive taenias redimiculumque solvit victimae sacrificante modo symbolico cultrum victimae dorsum leviter attingente a capite usque ad caudam. Deinde ante aram stans carmen recitat sacrum litteris diligenter mandatum oculisque ad statuam conversis. Ecce summum sacrum. Popa quaerit «Interficiamne victimam?». Sacrificante assentiente popa malleo victimam percussu vehementi interficit capitis. Cultrarius iugulum secat victimae collapsae. Animal in solo ponitur pedibus sursum erectis; viginti circiter litra nonnumquam perdit sanguinis. Lente si profluit sanguis ex animali aut si animal renititur malum aestimatur omen i.e. deus victimam repudiat. Corpus animalis membratim caeditur, cor, iecur, renes exsecantur dill-

genterque cavendum est, ne sint anomalia. Nonnulla alia quoque membra corporis exsecantur - magmenta sive augmenta - et una cum illis membris iam exsecatis coquuntur. Post cocturam temperantur ac in ara incinerantur. Quoad carnem restantem: bene cenatur una cum sacerdote ac amicis invitatis. Initio dominationis Caligulae (37-41) Romae decursu trium mensium 160.000 boves mactabantur omnesque cives ac senatores invitabantur ut festis interessent.

- *lustratio (sacrum piaculare)*: lustrationibus opus erat relationum perturbatarum inter numina hominesque redintegrandarum causa. Sacrificium repetendum erat sacrificante peccante aut balbutiente aut ritu offenso; error piaculo erat expiandus. Talis erroris inconsulti evitandi causa sacrificium piaculare in antecessum perfici poterat, e.g. *armilustrium* (armorum expiandorum causa quia gladiis sanguine hostium maculatis pericula ne imminerent timebant), *tubilustrium* (expiatio lustratioque est cornuum; Romani cornibus utebantur, ut hostibus terror timorque inicerentur), *lustratio classis* (praefectus classis Romanae itemque sacerdotes ter classem ambire solebant; dimidia pars victimarum in mare iaciebatur, altera pars in ara cremabatur). ■

CARMINA LATINA

PANXIT IOSEPHUS TUSIANI

NIX QUID EST?

Nix quid est? Nova vis humo
atque germinibus salus;
dulcis est pueris locus
ac seni tremulo timor.
Sed quid est mihi? Forsitan
alba significatio
pacis, ordinis intimi,
post tot horrida proelia
tanta postque pericla.

MEDITATIO IN SOLARIO

Luce sustentus teneo salutem
in tuis sacris radiis, serene
sol, ab aeterno rediens ad ima
limina mundi.

Omne scindendo spatium refulcis
arduam quercum minimumque dumum,
culmen et vallem, violam et viretum,
germen et undam.

Quomodo in tanta vigilique cura
me virum possis meminisse parvum
nescio, o lumen venerandum et amplum,
nescio, nescis.



DE SERMONE LATINO

AB EIUSDEM PROFESSORIBUS REPUDIATO
SCRIPSIT LEO STOELINGA

Mense Ianuario huius anni habitus est Namurci coetus annuus societatis linguam Graecam Latinamque docentium, qui pertinent ad regimen Francogallicum. Ibi Domina Docquier, huius societatis praeses, nuntiavit a nonnullis propositum esse ut consociatio Europaea conderetur, cuius consortes essent diversae palaeophilologorum societates Europaeae, petivitque a conventu ut ei liceret operam dare ad hanc consociationem, cui nomen futurum «Euroclassica», constituendam.

Sodalis noster Nederlandus Leo Stoelinga ad nos nuntium misit, e quo infeliciter patet strenuissimos Latinitatis hostes inter ipsos linguam Latinam docentes reperiri (id quod iam saepius compertimus!).

Mense Decembri anno praeterito Cantabrigiam in Britanniam ex variis nationibus Europaeis convenerunt, qui a societatibus palaeophilologorum nationalibus delegati erant, ut confoederationem earum societatum constituerent Europaeam. Adfuerunt, qui studerent, ut lingua Latina

constitueretur sermo communis et officialis confoederationis novae. Laudabile et utile et rationale propositum. Nam omnes qui conventibus futuris intererunt, linguam Latinam callent et plerique etiam docent. Quid nunc factum est eo proposito? Hoc nobis narrat Antonius van Hooff, qui adfuit et est praeses societatis palaeophilologorum Nederlandicae, in fasciculo 55 commentariorum periodicorum eiusdem societatis in pagina 9: «*De geboorte van de nieuwe organisatie, die als werknaam «Euroclassica» heeft, gaat niet zonder pijn: zo moesten pogingen om Latijn tot communicatietaal te maken in de kiem worden gesmoord.*»

Id est: «*Nova confoederatio, cui interim nomen «Euroclassica», non sine dolore nascitur: opus enim fuit conamina eorum, qui linguam Latinam sermonem communem (sc. confoederationis novae) constituere vellent, in ipso ortu suffocari.*»

Mense Septembri huius anni delegati convenient Nemausum in Francogalliam, ut iterum agant de rebus constituendis. ■

DE SUFFRAGIIS INFANTIUM

SCRIPSERUNT CURATORES RADIOPHONIAE LATINAE FINNICAE



De suffragiis infantium (e nuntiis Latinis 9/8/91 emissis) - In Finnia publice propositum est, ut pueri et puellae quinque annorum suffragiis latis sententiam dicerent, quot annos nati scholam inirent. Dicitur illud consilium ad decretum Nationum Unitarum pertinere, ex quo decreto infantibus ius sententiae in suis rebus dicendae esse debet. Quod iam in Re Publica Aequatoriana factum est, cum infantes eius civitatis anno proximo in suffragium irent et ita efficerent, ut tutela parvulorum in Aequatoria melloraretur. ■

NOVI LIBRI :

IMME Genovefa, *Amatoria periegesis. Voyage d'amour, carmina bilingua*, Mazet St Voy, ed. Tarmeye, 1991.

Hoc libro Genovefa Immè poemata collegit, quae Antonino marito suo dicavit, imprimis Latine scripta, deinde linguae Francogallicae adaptata. Arte metrica maxime varia (cuius usus explicatur in ultimis paginis, ita ut lector intellegat sensus animi ingenti rhythmici varietate exprimi posse), Genovefa Immè, quae est poëtria multis praemiis iam diu comprobata, in amore describendo non solum magnam scientiam adhibet, sed praesertim totum cor suum. Legatis potius:

Amor amate,
Amor amator,
ad finem tibi libera me dico:
fragile corpus
tibi dicabo,
aeterne tibi dare animum volo.

Fugit abique
celere tempus:
Num credis fore iam otia crastina?
Amor amate,

Amor amator
Aeterne poterisne fovere tu? (...)
(Amor amator, p. 126)

Quod pressis retines palmis,
mi Amor, te amo;
quod mordes avidis labris,
mi Amor, te amo;
et quod gaudia tu carpis
et simul gaudeo;
Tu vis es mea vitalis:
Mi Amor, te amo! (...)
(Amatoria cantio, p. 174)

VANDERSTEEN W., *Lucius et Lucia. De secreto gladiatorum, in Latinum convertit R. Dehamers auxiliantibus G. Lesaffer et P. Claes, Antverpiae, ed. Standaard, 1990.*

Amicus noster Marcellus Cooreman, qui nunc requiescit in pace, hunc librum nobis aliquando attulit occasione cuiusdam sessionis Latinae data. Facinora Lucii et Luciae in Belgica sunt bene nota; Francogallice vocantur "Bob et Bobette". Auctor in hac fabula argumentum excogitavit ex historia antiqua depromptum. Additur lexicon quo verba difficiliora in sex linguas vertuntur. Ut soleo, malo paginulam ex libro excerptam proponere quam longa verba ipsa facere:



Francisca Deraedt

POSSITNE INSTITUI LIBERA RES PUBLICA ISLAMICA

SCRIPSIT GUILHELMUS BLUM

«De principiis liberae rei publicae» cum iam nobis actum sit (vide *Melissam* 38/Oct. 1990, p. 15), repetenda sola haec principia esse videntur, ne quid sit res publica libera obliviscamur. Sunt autem inter alia principia haec:

- 1) observantia et reverentia hominis iurum.
- 2) maiestas populi (id est: nec regis nec dictatoris nec partis cuiusquam).
- 3) separatio vel divisio potestatum.
- 4) ratio ac responsio moderatorum.
- 5) legitima administrationis officia.
- 6) independentia iudicativae potestatis (id est: tertiae in re publica potestatis praeter legislativam et executivam).
- 7) institutio plurium partium politicarum.

Nunc vero nobis quaerendum est, utrum haec principia sequi possit vel parata sit res publica illa, quae Mahometi legibus vel regulis in Corani libro conscriptis obtemperat, necne.

Ac primum quidem confiteri necesse est religionem Islamicam regulas speciales prodidisse, quibus mores et consuetudines vitae dirigantur, minime vero de statu rei publicae egisse: «Neque capitalismus neque socialismus» (at communismus numquam congruet cum Islamismo et propter atheismum et propter negationem proprietatis privatae!) «neque parlamentarismus neque monarchia a religione Islamica abhorrent» (citata est haec sententia ex articulo optimo, qui in editione 138 mensis Iunii 1991 in actis diurnis «*Neue Zürcher Zeitung*» intitulatis conscriptus erat). Tamen ordinem sacerdotum vel Corani interpretum maioris esse momenti quam in ceteris rebus publicis inter omnes constat.

Quamquam vocabulis capitalismi vel socialismi status rei publicae sensu politologico definiri non potest, tamen communistae hanc definitionem semper in ore habebant. Nos vero cum videamus verbis parlamentarismi vel monarchiae (vel aristocratiae) definiri posse res publicas, nunc intellegimus et parlamentarismum congruere cum Corani regulis: parlamentarismus autem stricto sensu in illis tantum existit rebus publicis, quae capita 2-7 supra indicta sequuntur. Ergo quaes-

tionem nostrae respondendum est certe posse institui rem publicam Islamicam.

Sed haec prima responsio semper et ubique non valet: vide exempli gratia in Marrocano regno regis monarchiam vel in Irani re publica parlamentarismum. Quae duae (et multae aliae) res publicae Islamicae quamvis sint bene formatae - «bene» dictum est solo sensu politologico! -, tamen formatio illa quasi externa esse videtur: sunt enim veri moderatores neque vel neque parlamenti deputati, sed theologi vel Corani interpretes. Ergo difficultatem paene omnium Islamicarum rerum publicarum videmus consistere in potentia potestate auctoritate illorum Corani interpretum, qui quasi supra constitutionem positi sive elati sibi et nobis videntur. Et si isti Corani periti fundamentalismum quem vocant sequuntur, maximum est periculum, ne hominum iura laedantur, primum supra dictum caput dico. Hoc vero periculum nostris temporibus non solum existere, sed etiam crescere legimus audimus videmus. Ergo nobis scribenda est duplex responsio:

- 1) libera res publica Islamica potest institui;
- 2) libertas haec destruitur ac deletur, cum fundamentalismus in moderatorum mentibus viget.

Huc accedit, quod usque ad nostra hodierna tempora nemo Corani peritus clare et distincte definivit, quid essent et iustitia et ius. Apud Ciceronem enim, ut exemplum proferamus, de iure naturae et de iure ab hominibus facto legimus, et Sanctus Thomas Aquinas tres esse iuris partes docuerat, ius divinum ius naturae ius ab hominibus factum. Quae doctrina classica cum ab Islami peritis non agnoscat, difficultates maximas fieri et existere non ignoramus, neque enim in Corani neque in Sunnae libris quid sit iuris fundamentum ac principium clare definitur. Quae cum ita sint, solis Corani peritis tribuitur officium iuris interpretandi explicandi adhibendi. Quo e facto per multa evadunt pericula: si enim theologi iura interpretantur, officio utuntur, quod non didicerant. Et non solum apud Islamicos, sed etiam apud Medii Aevi Christianos interpretationem iuris a theologis factam sequebantur pericula violationes iniuriae... ■

SYMPOSIUM LATINUM

AUSPICIIS FINNICI MINISTERII PUBLICI REI INSTITUTORIAE HABENDUM

Cultores fautoresque Latinitatis invitantur ut quam frequentissimi veniant Parisios ad Symposium participandum. Quod enim Symposium instituitur auspiciis publicis, id quod nostris temporibus raro fit. Diurnarii aderunt, quibus imprimis monstranda est frequentia Latinitatis amatorum.

Cancellarius Iaakko Numminen, rector Ministerii Publici Rei Institutoriae Finnicae, Symposium inaugurabit omnesque participes Veneris die vespere recipiet atque ad potiones cibosque sumendos invitabit.

Fieri non potest ut invitatio mittatur ad singulos; quare lectores nostros hortamur ut hunc nuntium quam latissime divulgent.

Ei qui receptioni Cancellarii Numminen interesse velint vel mensae rotundae disputationes participare, mittant foliolum subiunctum ad Institutum Finnicum Parisiense:

INSTITUT FINLANDAIS, Rue des Ecoles, 60, F-75005 Paris (tel. (1) 40.51.89.09).

PROGRAMMA

Die Veneris 25 m. Octobris anno 1991:

15-19 h.: acroases Latinas facient oratores undique Europae oriundi.

19 h.: receptio Cancellarii Iaakko Numminen.

20 h.: monstrabitur pellicula Plautina c.t. Rudens.

Die Saturni 26 m. Octobris:

10-13 h.: acroases Latinae.

15-17 h.: acroases Latinae.

17-18.30 h.: colloquium generale apud mensam rotundam.

20 h.: concertus musicus a choro Finnico c.n. "milites pauperes".

Die Solis 27 m. Octobris:

10 h.: conclusiones et nova proposita.

11 h.: receptio valedictoria.

LATINE LOQUI...

UBI CONDISCATUR



DOMUS LATINA : a die 23 m. Septembris iterum fiet institutio Latina - omni Lunae die hora 19. Quae institutio fit omnino Latine. Propositum est triplex:

- varios textus Latinos legere, non solum antiquos sed etiam recentiores;
- grammaticam Latine exponere;
- sermonem cottidianum exercere.